

Ecclesia temporales sunt sequentes. Videlicet I. Pœna pecuniaria. II. Verberatio. III. Tortura. IV. Exilium, seu Relegatio. V. Incarceratio. VI. Arcium Monasterium. VII. Confiscatio bonorum. De quarum singularum natura & usu, singulares sequentes Conclusiones. Hinc

99 Resp. II. Pœna pecuniaria in hoc consistens, quod Delinquens, loco alterius pœnæ, vel una cum alia certam summam pecuniariam solvere debeat, licet & validè à Judicibus Ecclesiasticis imponi potest: ita tamen, ut regulariter loquendo non ipsi Judici, sed causis piis applicetur. Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 9. num. 8. Abbas in c. Licet. 3. h. t. num. 8. & ibidem Fagnanus num. 97. Barbosa n. 4. Farinacius Prax. Criminal. q. 19. num. 5. & alii communiter arg. Statutum. 55. cau. 16. q. 1. c. Dilictus. 8. de Offic. Ordin. c. Pistoris. 14. de Jure. ubi pœna pecuniaria expressè etiam præscribitur, ibi: *Ipsam pœnam pecuniariam punias, vel alia temporalia, cum Concordantiis.* Ratio est; quia hæc pœna subinde magis quam alia à Delinquentibus timetur, indeque ad coercenda crimina nonnunquam magis deservit. Unde etiam praxi ferè ubique recepta cenatur.

100 Dicitur tamen notanter; ita tamen ut regulariter loquendo, non ipsi Judici &c. licet enim olim satis recepta fuerit doctrina Covarruvias loc. cit. nu. 9. distinguendo dicentis, quod in casibus & delictis, pro quibus ex Lege statuto, aut consuetudine Pœna pecuniaria est definita, possit eam Judex sibi applicare; nisi ex eodem statuto aut consuetudine in causas piis, vel in compensationem injuriæ, vel dampnum passum esset convertenda. In illis verò casibus, in quibus Judex solo arbitrio suo Pœnam pecuniariam imponit, eam sibi applicare nullatenus valet; cum in his, non item in illis casibus avaritiæ suspicio subsistit.

101 Tamen hodie post Concilium Tridentinum præfata distinctio non amplius procedit, sed absolute tenendum est, Pœnas pecuniarias à Judicibus Ecclesiasticis impositas, causis & piis locis applicari debere Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 107. n. 19. Diana p. 10. tr. 8. resolut. 2. §. Ad hæc omnia quanta, in Summ. Bullar. v. Pœne pecuniariae. pag. 205. Ratio est; qui ita expressè statuitur à dicto Concilio Tridentino Sess. 25. de Reformat. cap. 3. ibi: *Licet eis (Judicibus Ecclesiasticis) si expedire videbitur, in causis civilibus ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam Clericos per multas pecuniarias, que locis piis ibi existentibus, eo ipso, quod exalta sue int. assignentur &c. procedere, & causas definire.* Accedunt Declarationes Cardinalium, quas refert Barbosa & Diana loc. cit. quæ etiam habent, quod, nisi Episcopus sit pauper, pœnas pecuniarias nec possit applicare fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, aut donis Episcopalis, sed debeat illas aliis locis piis applicare.

102 Nec obstant, qui obijciuntur, textus Juris c. Irrefragabili. 13. §. fin. de Offic. Ordin. c. Ut Clerico. 13. De vita & honestat. Cleric. & c. Licet. 3. h. t. ubi expressè prohibitum videtur, pro delictis pœnas pecuniarias imponere: Tum ne avaritiæ detur locus: Tum ne delicta invalescant: quia nullam Reus permissit culpam, quam redimere numeris exijimat, can. Pauper. 72. cau. 11. q. 3. Respondetur enim præfatis Juribus prohiberi solum pœnas pecuniarias, quæ ex avaritiâ, & lucri cupiditate, aut non observato ordine judiciario imponuntur, minima verò, quæ piis causis, & locis applicantur. Ad rationem respondetur, eam procedere, si cuncta crimina ordinariè solâ pecuniaria pœnâ plectentur, non verò, si id spectatis personæ & delicti circumstantiis fiat, & ubi apparet, hanc pœnam

magis aut æquè timeri quam corporalem servare. Illud tamen notandum, quod si Episcopus verè esset pauper, sufficientem ex redditibus Episcopatus sustentationem pro suo statu non habens, possit pœnas pecuniarias sibi fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, aut donis Episcopalis applicare; prout allegatis Cardinalium Declarationibus rectè docet Barbosa loc. cit. & in Concil. Trident. loc. cit. numer. 25.

Resp. II. Per Verberationis, seu Flagellationis pœnam intelligitur verberatio moderata, ne ad sanguinis effusionem deveniat c. 1. de Calumniat. & c. In Archiepiscopatu. 4. de Rapt. quæ est in plerisque locis in delictuendum abiecti, tamen adhuc fieri potest, prout dictum jam est Tit. II. de Calumniat. n. 10.

Resp. II. Per Torturam intelligitur gravior pœna corporis afflictiva ad hoc imposita, ut Reus ad fatendam veritatem adigatur: Cui licet de Jure antiquo Clerici non poterint subijci, prout ex l. Militia. 8. c. De questionib. & etiam Concil. Matisonensi I. can. 19. desumitur; tamen hodie à Tribunalium Ecclesiasticorum consuetudine & praxi receptâ, Clerici etiam Sacerdotes torqueri possunt, prout cum aliis observat Farinacius Prax. Criminal. quest. 9. num. 7. Guazius Defens. Reorum. 33. cap. 10. num. 3. qui tamen rectè monet, ob præsumptionem innocentie fundatam in Ordinibus & statibus dignitate, majora quam in Laico requiri criminis indicia. Addit Clarus §. fin. q. 64. num. 24. Clericos præsertim Sacerdotes, si torquentur, mitius quam Laicos torqueri debere ob reverentiam statui debent; qualiter in nostro Ordine fieri possit & debeat Tortura vide Tit. I. d. num. 472.

Resp. IV. Per pœnam Exilii, seu Relegationem ordinariè intelligitur sola Relegatio extra Diocesim, quam Episcopus contra Clericum delinquentem adhibere hodie adhuc potest, & solet. c. 1. de Calumniat. can. Cum beatus. 8. dist. 45. cum Concordantiis, quod si Episcopus ob gravitatem delicti etiam civitatis & patriæ Jura Clerico adimere, si que perfectum Exilium in eum decernere velit, brachium sæculare ad id implorare debet. c. Si quis. 2. de Clerico excommunicat. juncto Concilio Tridentino Sess. 24. de Reformat. cap. 8. eo quod penes Ecclesiam non sit Exilium tam strictum indicere. Barbosa in cit. c. Si quis. n. 4.

Resp. V. Incarceratio, seu Carcer dupliciter decerni potest contra Reum etiam Clericum, videlicet primò solius Custodiæ causâ, quando nempe Clericus suspectus est de fuga, c. si Clericos. 15. de Sentent. excommunicat. in 6. vel ne impediatur ab subornet testes, prout aliis allegatis bene docet Ludovicus de Ameno Prax. Criminal. Tit. Reus. §. 2. nu. 6. quo tamen in casu locus Carceris quantum circumstantiæ admittunt, debet esse honestus, & corporis non afflictivus; simulque præcedere informatio saltem extrajudicialis de infamia Rei, vel indicis criminis ad constituendum Reum sufficientibus, eò quod Incarceratio etiam solius custodiæ causâ afferre solet infamiam & præjudicium non facile reparabile. Jafon in l. Si se. 4. §. 6. ff. de Judiciis. Felinus in c. Cum super. 17. de Sentent. & re judicat. Ludovicus de Ameno loc. cit.

Secundò decernitur, & accipitur pro Pœna, in quo casu quo casu propriè formaliter dicitur quis incarcerari, & esse in formali Carcere, in quo sensu, est de Jure communi ad perpetuos Carceres detruhi potuerint soli serv. l. Servi. 10. C. de Pœnis non item liberi homines. l. Incredibile. 6. C. de Jure tamen Ecclesiastico & recepta praxi non dicitur formali Carcer tam perpetuus, quam temporalis pro pœna infligitur

gitur Reis, c. Excommunicamus. 15. de Hæreticis. c. quomvis. 3. h. t. in 6. ibi: *Quomvis ad reorum custodiam non ad panam Carcer specialiter deputatus esse noscitur, nos tamen non improbamus, si subiectos ibi Clericos confessos de criminibus, vel convictos (eorum excessibus, & personis, ceterisque circumstantiis providâ deliberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad pœnitentiam peragendam.*

109 Ubi notandum, quod Carcer perpetuus Clerico in pœnam decerni non possit, nisi ob crimina in Jure expressa, vel ob quæ in sæculo pœnâ mortis infligitur, ut cum Innocentio in c. Tue. 6. h. t. notat ibidem Abbas num. 5. In quo casu etiam ob criminis valde enormis atrocitatem Carcer exasperari possit, ita, ut non nisi pane doloris, & aquâ angustia sustentetur, c. Novimus. 27. de V. S. & contra vitæ subsidium, mortis solatium invocet, c. Felicitas. 5. §. Si quis verò h. t. in 6. tamen vitæ necessaria non sunt subtrahenda.

110 Qualiter in Ordine nostro circa incarcerandos procedi debeat: & quos effectus Carcer formalis in pœnam impositus secum trahat, vide Statuta generalia cap. 5. & cap. 6. item Ludovicum de Ameno in Prax. Criminal. Tit. pœnarum genera d. num. 73.

111 Resp. IV. Detrusio in arcium Monasterium antiquo Jure solita, c. Pervenit. 2. de Adulterio. c. Inter. 10. de Purgat. Canon. c. Tue. 6. h. t. cum Concordantiis hodie in delictuendum abiit, & loco illius vel Tyrænes, vel Carceres perpetui insurguntur. Fagnanus in c. Cum non ab homine. Farinacius in Prax. Criminal. q. 119. n. 155.

112 Resp. VII. Confiscatio bonorum Clericis quoque imponi potest, c. Urgentis. 10. de Hæreticis. c. Cum secundam. 19. ibidem in 6. c. Super. 25. de V. S. ita tamen, ut bona confiscata applicentur Ecclesiæ, in qua Clericus Beneficium habuit, arg. c. Excommunicamus. 13. §. Damati. de Hæreticis, quod si Clericus nullum Beneficium habuit, bona illius confiscata veniant ad Fiscum Ecclesiæ vel Episcopi, convertenda in pios usus. Farinacius Prax. Criminal. q. 190. a. n. 154. notat tamen Sanchez lib. 2. Moral. c. 20. n. 25. quod si Clericus Beneficium non habet, Fiscus secularis, quoad bona Clerici patrimonialia agrè cedat.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remissionibus,

SUMMARIUM.

- 1 De hac Rubrica Remissivè, excepto Sigillo Confessionis.
- 2 Sigillum Confessionis quid? & quinam ad illud tenentur?
- 3 Pœna violantis Sigillum olim præter depositionem erat perpetua peregrinatio, vel detrusio in arcium Monasterium.
- 4 Hodie verò præter depositionem est Carcer perpetuus.
- 5 Ad quam tamen incurrendam panam requiritur, ut violans Sigillum sit Sacerdos.
- 6 Verum aliquod peccatum mortale, vel veniale in specie reitans.
- 7 Idque præsumptuosè, seu graviter peccaminosè.
- 8 Manserit alicui alteri, quam pœnitenti.
- 9 Judex in causa Violati Sigilli est solus Ecclesiasticus, & quidem ordinariè Violantis Sigillum.
- 10 Solvitur obijctio de sumptibus exemplis contrariis.

11 Ad formandum processum contra violatorem Sigilli non requiritur licentia pœnitentis.

12 Si Violator sigilli fuerit se reum, panis pœnæ ordinaria.

13 Si dicit, se peccatum vi notitiæ alicuius habita manifestasse, probare debet, unde illam notitiam habuit.

14 Si dicit, se cum licentiâ pœnitentis revelasse peccatum, debet probare licentiam sibi datam, casu, quo pœnitens, est delator.

15 Secus est, si alicuius est accusator.

16 Etiam si pœnitens sit accusator, creditur Confessorio, si est ceteroquin integra fame, & viæ.

17 Si ceteris paribus dubium est, creditur Confessorio.

18 Ad probationem Violati sigilli sufficiunt testes singulares.

Agitur hoc Titulo præcipuè de virtute & Sacramento Pœnitentiæ. Verum quia hæc materia penitus Theologica est, & de hac Theologi ex professo tractant, nil de ea hic agentes lectorum ad Theologos, & nostram Theologiam Moralem remittimus, illa duntaxat breviter tangentes, quæ circa Sigillum Confessionis Sacramentalis ad Jus Canonicum spectare videntur, videlicet de Judicio, & Pœnis frangentium Sigillum Confessionis. Hinc

Quæritur I. Quæ sint pœnæ violentiam sigillum confessionis Sacramentalis? Antè responsum suppono, & naturam, & gravissimam obligationem servandi sigillum Sacramentale, seu non revelandi sed secreta tenendi peccata cuncta, quorum notitiam ex sola confessione sacramentali, etiam simulatâ, vel aliâ invalidâ, vel occasione confessionis sacramentalis habemus, adeo ut etiam illud principaliter, & primariò obligetur sacerdos confessionem sacramentalem percipiens; secundariò tamen, & per accidens etiam reliqui quicumque tandem ad idem teneantur, ad quos notitia alicujus peccati in confessione sacramentali detecti, five immediatè, five mediatè, five justè, five injustè devenit, ut proin præter alios etiam sequentes graviter teneantur ad sigillum videlicet, qui potestatem absolvendi carentes, peccata bonâ fide confitentis, vel ex ignorantiâ, vel malitiâ exceperunt, qui confitentis prostantes unum vel plura peccata illius etiam contra voluntatem suam, vel ex industria audierunt: qui alterius peccata ex confessione scripta & sic in confessionali deposita legerunt: Illi quibus confessorius vel ex inadvertentiâ, garulitate, vel malitiâ manifesta vit peccata confitentis: Illi, quos confessorius de licentiâ pœnitentis ratione peccatorum in confessione auditorum consuluit: Illi, à quibus petita est licentia absolvendi aliquem à casibus reservatis: Item qui ex necessitate peccata sua alicui voce confitentem v. g. furdaltrum, aut moribundum, aut in naufragio constitutum audierunt. Item internuntii & interpretes pœnitentium: & alii similes, de quibus & etiam Theologiam nostram moralem vid. v. 14. Dist. 9. q. 3. quo supposito

Resp. I. Propter gravitatem, & toti Ecclesiæ summè præjudiciosam malitiam violati sigilli sacramentalis Ecclesia semper subiecit & adhuc subiecit gravissimis pœnis sacerdotes sigillum sacramentale violantes, adeo, ut antiquo Jure ab ordine sacerdotali deponi, & quavis stabili mansione privati perpetuò ignominiosè circumire debeant. Can. Sacerdos. 2. Dist. 6. de Pœnitentiâ. ibi: *qui hoc fecerit sigillum videlicet violaverit) deponatur, & omnibus diebus vite sue ignominiosus peregrinando peregrat; quæ tamen peregrinandi pœna utpote in opprobrium Ordinis clericalis, & spirituale dampnum peregrinantis*



ob circumvagationem continuam vergens agnita, postea mutata fuit in perpetuam destructionem acti Monasterii, poena depositionis manente c. omnis Utriusque 12. §. caveat. h. t.

4. Vtrum quia hodie detrusio in monasterium abiit in defectudinem, & loco illius suffecta est detrusio in perpetuos carceres juxta dicta supra Tit. XXXVII. n. 111. Ideo ordinaria poena violantis sigillum sacramentale præter depositionem hodie est carcer perpetuus ita tamen, ut requiratur ad eam condemnatoria sententia. Lugo de Pœnit. Disp. 23. n. 147. Fagundes de Præcept. Ecclesie 2. lib. 6. cap. 7. n. 2. per Jura citata.

5. Resp. II. Ut propter violationem sigilli quis præfata Pœnam, Depositionem videlicet, & perpetuos Carceres incurrat, sequentia requiruntur, videlicet I. ut violans sigillum sit sacerdos: quia citat c. sacerdos, & c. omnis utriusque 12. h. t. solis sacerdotibus poena memorata imponi jubetur, consequenter tanquam odiosa depositio ad alios extendi non debet. Hinc poenæ præfate non subiacent adstantes, qui audita peccata confidentis aliis revelant, vel qui eorum notitiam ex schedula confessionis scripta habent, & produunt, vel qui ea à confessorio iniquè revelante audire &c.

6. II. Requiritur, ut sacerdos revelet verum aliquod mortale vel veniale peccatum in specie v. g. homicidii, iactantia, vel in genere dicat, talem confessum fuisse peccatum mortale; Diana Tract. 11. p. 5. resolut. 51. Suarez de Pœnit. disp. 33. sect. 8. arg. cit. cap. sacerdos, & c. omnis &c. ubi de solis peccatis fit mentio, consequenter de solis illis intelligenda venit Juris dispositio; hinc licet illi, qui alia etiã aliàs sub sigillum cadentia, veluti defectus natalium, vel aliud quidpiam probrorum, aut præjudicium poenitentis revelant, gravissimè peccent, gravique arbitraria Judicis & quidem graviore poena plectendi sint, quam violantes secretum naturale, ordinariæ tamen poenæ violantis sigillum non subiacent; prout cum aliis bene observant DD. cit.

7. III. Requiritur, ut peccatum reveletur præsumptuosè, id est graviter malitiosè arg. c. omnis utriusque 12. §. caveat. h. t. ibi: præsumpsit revelare. Hinc licet ille, qui ex ignorantia, inadvertentiã, vel in ebrietate, consequenter non præsumptuosè, nec graviter peccaminosè contra sigillum revelat aliquod peccatum, aliquò extraordinariã poenã puniri valeat, tamen ordinariæ non subiacet; nisi forsan in foro externo contra ipsum præsumeretur, eum cum sufficiente advertentiã, consequenter præsumptuosè, ac graviter peccaminosè egisse; quæ præsumptio in foro externo utique fit, nisi sigillum violans aliud ex circumstantiis probet: cum aliàs poena ordinaria à quovis facillè eluderetur dicendo, se ex inadvertentiã fuisse locutum.

8. IV. Requiritur, ut quis peccatum non ipsi poenitenti peracti confessione, extra illam sine ipsius licentiã obijciat, sed alicui alteri revelet; quia revelare propriè non dicitur nisi is qui secretum sibi commissum alteri prodit; quare extra confessionem obijci, ut peccatum ipsi poenitenti, ordinariæ poenæ non subacet, sed extraordinariæ duntaxat. Ganad. de Sacram. controvers. & tr. 11. Disp. 8. n. 3.

9. Queritur II. quis sit Judex in causã violati sigilli? quomodo procedere debeat? quales probationes in ea requirantur, admittantur, & sufficiant? Resp. I. solus Ecclesiasticus & quidem Episcopus ordinarius Rei est Judex in causã violati sigilli sacramentalis, quòd solus Ecclesiasticus, minime verò laicus hu jus causæ sit Judex, tenet eum communi aliorum Lugo, ubi supra n. 43. Gobath. quinar. Tract. 5. n. 200. Et ratio est; quia cum causã violati sigilli ex annexo Sacramento, sicque ex natura sua spiritualis, &

Ecclesiastica sit, soli Ecclesiastico, non laico Judici competit. c. Decernimus 2. c. quando 3. de Judiciis. c. ut inquisitioni. §. Prohibentus. de Hæreticis.

Nec obstant exempla in contrarium Jacobi Regis Aragoniæ, qui Episcopo Gerundensi sigillum sacramentale violanti linguam à tergo extrahi jussit, teste Alurete lib. 2. Eccles. discipl. c. 19. n. 2. Et tenatus Tholosani, qui sacerdotem sigilli violatorem in furcam agi, & cadaver ipsum igne cremari fecit, ut refert Raynaud. Praxi Spirit. histor. 13. Resp. enim præfatos vel ex delegatione Apostolica, vel in sacerdotibus prius degradatos processisse, aliàs contra immunitatem Ecclesiarum egisse; cum nulla etiã Imperiali vel Regali auctoritas habeat potestatem judicandi, & condemnandi personas Ecclesiasticas, nisi ad hoc auctoritate Ecclesiasticã delegentur, vel persona Ecclesiasticã degradata potestati Laicæ tradatur. can. nullus 2. can. clericum. 3. & c. cau. 11. q. 1. c. At si clericus 4. cum non ab homine 10. de Judiciis. cum concord.

Resp. II. Ad hoc, ut Judex Ecclesiasticus contra sigilli violatorem processum instituire valeat, non requiritur licentia poenitentis, cujus peccata fuerunt sacrilegè revelata. Ita cum aliis docet, & satis efficaciter probat Stoz Tribunal. Pœnit. lib. 2. q. 4. d. n. 288. contra Gobath. arg. cit. can. sacerdos 2. dist. 6. de Pœnit. &c. Omnis utriusque h. t. ubi prorsus nulla facta mentione de habenda licentia poenitentis præcipitur, ut poenæ ibidem præscriptæ inferantur violantibus sigillum. Ratio est, tum quia ex isto processu nullum emergit præjudicium poenitentis, nec irreverentia Sacramento; cum ex una parte notitia peccati ex violato sigillo habita, nullo modo noceat poenitenti, utpote qui propterea nec inquiri, nec puniri potest, ad eò, ut notitia illa perinde se habeat, ac si non adesset, uti fatetur omnes: Tum, quia per istum processum potius evitatur, quam causatur irreverentia Sacramento, fidelisque potius animantur, quam absterrentur à confessione sacramentali, videntes, in sigilli violatores tam severè procedi. Tum quia obligatio sigilli introducta, & poenæ violatoribus statuta sunt non tantum in bonum privatum alicujus poenitentis, sed in favorem ipsius Sacramenti, & totius Ecclesie, qui favor à privato consensu unius privati poenitentis non dependet. Tum etiã quia violatio sigilli est crimen publicum arg. c. si quis suadente, caus. 17. q. 4. utpote sacrilegium, quod criminibus publicis annumeratur l. si quis 10. c. de Episcopo & Cleric. consequenter non attentio privatorum assensu, vel dissensu puniendum venit.

Resp. III. Si quis viã inquisitionis, aut denuntiacionis vel accusationis de violatione sigilli judicialiter interrogatus se reum fateatur, alia probatione opus non est, arg. l. generaliter 13. c. de numer. pecun. c. fin. de cohabit. cleric. & mulier. cum propria confessio sit optima probatio, per vulgaria.

Si verò dicat, se peccatum non ex aliqua confessione, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare, quã viã, & modò illius notitiam acquisivit: in qua probatione si deficit, & tamen in negatione violati sigilli perseverat, ex præsumptione violati sigilli poenã extraordinariã. Sylvestr. v. Confessio. 3. n. 5. Abbas in c. omnis h. t. n. 26. Lugo loc. cit. n. 151. nisi aliunde plenè convincatur; tunc enim ut convictus utique sentire debet poenam ordinariam.

Si utique fatetur, se quidem peccatum ex confessione, sed cum licentia poenitentis revelasse, onus probandi hanc licentiam incumbit revelanti, saltem in casu, quo poenitentem ipsum accusat, aut aliàs negat, se licentiam dedisse; prout cum aliis bene advertit Lugo loc. cit. eò quòd licentia hujus-

hujusmodi sit quòd facti, quod non præsumitur, sed probari debet ab allegante. c. Cum in Jure 31. de off. deleg. & l. In bello 12. ff. de capi. & possim.

15. Dicitur autem notanter, si poenitens est accusator; quia si tertius alicuius accusat, vel desert, et incubit, alias probationes afferre ob præsumptionem stantem pro confessorio; qui bonus, & sigillum servans præsumitur, donec probeur contrarium c. unic. de servitu. cap. final. de Præsumpt. & l. Merid. 51. ff. pro socio.

16. Inò etiã si poenitens sit accusator, vel neget, se dedisse licentiam manifestandi peccatum, creditur confessorio, licentiam sibi datam asserenti, casu, quo revelatio peccati parum vel nil præjudicat poenitenti, simulque confessorius sit vir prudens, nec non integre famæ ac vite. Secus foret, si revelatio facta esset multum damnosa poenitenti, vel tertio, præsertim si poenitens existeret probate vite & conversationis; tunc enim poenitenti contra confessorium credere, & hunc tanquam sigilli violatorem extraordinariã saltem poenã castigandum esse, bene cum aliis observat Diana p. 1. tr. 11. resolut. 52.

17. Porro si cæteris paribus dubium existat, confessorio potius asserenti, quam poenitenti neganti licentiam datam, credendum esse, bene cum aliis docet Mascardus de probat. conclus. 951. n. 30. ex illa ratione, quòd in factis, quæ ad officium Judicis spectant, & aliter fieri non possunt, pro Judice præsumatur. arg. can. Hoc etiã 37. cau. 2. q. 6. & can. Absit. 14. cau. 11. q. 3.

18. Cæterum ad probationem violati sigilli sufficere etiã testes singulares cum aliis rectè docet Tanner. Tom. 4. disp. 6. q. 9. n. 127. & Stoz Tribunal. Pœnitent. lib. 2. q. 4. d. n. 281. Tum ob enormitatem delicti summè præjudiciosi; tum quia ordinariè difficilis est probatio; dum sacrilegi Violatores sigilli, pluribus final. præsentibus non facillè sigillum violant.

19. Ad hanc Rubricam pertinet quidem etiã tractare de potestate absolvendi tam à communibus, quam reservatis peccatis; qui tamen de hac materia tractabimus infra Tit. seq. 9. fin. ubi de potestate absolvendi à censuris agemus, lectorem illuc remittimus.

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.

1. Ratio Ordinis.

POST poenas vindicativas sequuntur poenæ Ecclesiasticæ spirituales, sequuntur videlicet Excommunicatio, & Interdictum: De quibus singillatim per plures agemus Paragraphos, prius tamen sit

§. I.

De Natura & Divisione Censuræ.

SUMMARIUM.

- 2. Censura unde derivetur?
  - 3. Quid sit?
  - 4. Ist poena spiritualis.
  - 5. Medicinalis.
- Reiffensuel Jus Can. Tom. V.

6. Non nisi à potestate Ecclesiastica imponi potest.

7. In specie quomodo inferre possint Censuram?

8. Et ob quam causam.

9. Excommunicatio major, vel alia Censura gravis non infligitur, nisi propter peccatum mortale.

10. Externum.

11. Contra præceptum Ecclesiasticum.

12. Contumacia, seu cum aliqua contumacia commissum. Et num. seq.

14. In quo consistat hec contumacia?

15. Censura solis Christianis, non verò Infidelibus.

16. Bene autem Hæreticis infligi potest.

17. Censurandus debet esse rationis eopax.

18. Et jurisdictioni Censurantis subiectus.

19. Episcopi in generali sententia Suspensionis, aut Interdicti non comprehenduntur.

20. Reges, & Imperatores ab Episcopis Censurâ legi non valent.

21. Ad incurrendum Censuram à Jure, aut Decreto generaliter latam, non prærequiritur aliqua monitio. Et num. seq.

23. Bene tamen citatio ad hoc, ut se defendere possit.

24. Ad infligendam Excommunicationem ab homine prærequiritur monitio trina.

25. In scriptis facta, & Excommunicato intimata, vel publicè affixa.

26. Eadem monitio requiritur ad infligendam Excommunicationem à Jure latam severè sententia.

27. Nisi delictum, & contumacia essent notoria.

28. Suspensio & Interdictum aliquando sine monitione imponuntur.

29. A Censura excusat probabilis ignorantia Falli.

30. Et Joris; ac num. seq.

32. Doctrina præctica ad propositum.

33. A Censura etiã excusat gravis metus.

34. Nisi violatio Legis cederet in damnum boni publici, aut cederet in contemptum Legis, aut potestatis, vel auctoritatis Ecclesiasticæ.

35. Censura jam lata invalida est, si Censurans caret Jurisdictione.

36. Vel eam impediam habet per propriam Censuram, vel Appellationem.

37. Insuper invalida est Censura ex defectu Ordinis, vel citationis.

38. Vel iusta causa, qua deficere potest; quia vobis adest, non tamen probata habetur: Et num. seq.

40. Vel desit, & tamen probatur in Foro externo.

41. Innocens Censuratus, v. g. excommunicatus secundum allegata, & probata, in Foro externo pro tali habere se debet: Et num. seq.

43. Quamvis coram Deo ab ea immunis sit, & in secreto contra eam agere possit.

44. Censura est triplex, videlicet Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum.

45. Quævis harum alia est à Jure, alia ab homine, alia lata, alia ferenda sententia. Et num. seq.

Notandum prius, nomen Censura à censendo derivatum, olim apud Romanos denotasse tum officium, tum sententiam Censuris mores corrigentis, & poenam decernentis. Quare occasione posterioris acceptionis factum est, quòd censura hodie adhuc significet correctionem quandam & punitionem, juxta illud Juvenalis Satyrâ 1. Dat veniam corvis, vexat censura columbas H. N.

Queritur I. quid sit censura ut sit? Respond. 3. I. Censura ut sit est poena Ecclesiastica spiritualis, medicinalis, per potestatem Ecclesiasticam contumaciter delinquenti christiano inflicta, privans usum quorundam bonorum spiritualium ad hoc, ut corrigatur, & à contumacia desistat.

K k Ita